Annus XIX - Vol. XIX 1 Augusti 1927 Num. 8

ACTA APOSTOLICAE SEDIS

COMMENTARIUM OFFICIALE

SUMMARIUM

Acta Pii PP. XI: Constitutio Apostolica, p. 265 - Litterae Apostolicae, p. 267 - Epistolae, p. 271.

Acta SS. Congregationum: - *Suprema S. C. S. Officii:* Dubium de conventibus acatholicorum ad procurandam christianitatis unitatem, p. 278 - *S. C. Concistorialis:* I. Patavin. et Vicentin. Dismembrationis, p. 279. II. Provisio Ecclesiarum, p. 280 - *S. C. Concilii:* Declaratio de sac. I. Paccagnella, p. 281 - *S. C. de Propaganda Fide:* I. Provisio Ecclesiarum, p. 281. II. Nominationes, p. 282 - *S. C. Rituum:* I. Brixien. Decretum super virtutibus ven. Vincentiae Gerosa, p. 283. II. Urbis et Orbis. Officium et Missa in festo S. Teresiae a Iesu Infante, p. 286. III. Dubium de Missa coram Ssmo velato vel in pyxide exposito, p. 289.

Diarium Romanae Curiae: Udienza diplomatica - Comunicato circa il sac. Giuseppe Loreti - S. C. dei Riti: Congregazioni Ordinaria, Generale e Preparatoria - Segreteria di Stato: Congregazioni assegnate ai novelli Cardinali. Nomine. Onorificenze - Maggiordomato: Nomine - Necrologio, pp. 290-296.

ROMAE

TYPIS POLYGLOTTIS VATICANIS

M · DCCCC · XXVII

Directio: Palazzo della Cancelleria — Roma.

Administratio: Libreria Vaticana — Roma.

Pretium annuae subnotationis
Pro Italia, Lib. 20 — Extra Italiam, *L. it.* 35 —
Pretium unius fasciculi, Lib. 8 —

« Bis fere in mense (Commentarium) *prodibit ac quotiescumque vel necessitas vel utilitas id postulare videbitur »* (Ex *Commentarii Officialis* ratione die 29 octobris 1908 edita).

INDEX HUIUS FASCICULI

(An. XIX, n. 8 - 1 Augusti 1927)

ACTA PII PP. XI

CONSTITUTIO APOSTOLICA

PAG.

Pro Apostolico. - Dismembrationis et aggregationis inter dioec. Patavin. et Vicentin. - *28 Ianuarii 1927* 265

LITTERAE APOSTOLICAE

I. *Quae ad rei.* - Nova delimitatio inter vicariatus apostolicos de Mackenzie et de Athabaska, qui est in posterum de Grouard denominandus. - *15 Martii 1927* . 268

II. *In omnes catholici.* - Immutatio finium inter vicariatum apostolicum de Orange et praefecturam apostolicam districtus centralis Promontorii Bonae Spei. - *16 Martii 1926* 268

III. *Quae fidelium.* - Distracto territorio e vicariatu apostolico de Seoul erigitur praefectura apostolica de Hpyeng-an in Corea. - *17 Martii 1927* 269

IV. *Aucto pastorum.* - Dismembratio et erectio praefecturae apostolicae de Kagoshima in Iaponia. - *18 Martii 1927* . . 270

EPISTOLAE

I. *Libentissime sane.* - Ad Emum P. D. Petrum tit. S. Chrysogoni S. R. E. Presb. Card. Maffi, Archiepiscopum Pisanum, vicesimum quintum episcopatus annum feliciter explentem. - *20 Maii 1927* . . 271

II. *Singulari quadam.* - Ad Emum P. D. Aloisium S. Georgii in Velabro S. R. E. Diac. Card. Sincero, quem legatum mittit in Belgicam ad solemnem S. Huberti Episcopi celebrationem. - *20 Maii 1927* . . 272

III. *Compertum est.* - Ad RR. PP. Michaelem Evangelisti, Moderatorem Eremitarum Camaldulensium O. S. B., Ioannem Valenzani, Praepositum Eremitarum Camaldulensium Montis Coronae, Vincentium Barbarossa, Abbatem Gen. Monachorum Camaldulensium: nono exeunte saeculo ab obitu S. Romualdi. - *5 Iunii 1927* . 273

IV. *Nos quidem Sacramenti.* - Ad R. P. D. Augustum Hlond, Archiepiscopum Gnesnensem et Posnaniensem, ob primum Eucharisticum Conventum in Polonia celebrandum. - *8 Iunii 1927* 275

V. *Quamquam de condicione.* - Ad Emum P. D. Alexandrum tit. S. Augustini S. R. E. Presb. Card. Kakowski, Archiepiscopum Varsaviensem et ad ceteros Archiepiscopos et Episcopos Poloniae: communibus litteris respondet e Conventu Varsaviensi datis. - *10 Iunii 1927* 276

PAG.

VI. *Cum Tractatus dogmaticos.* - Ad R. P. Eduardum Hugon, O. P., cui absolutos editosque tractatus dogmaticos gratulatur. - *25 Iulii 1927* 277

ACTA SS. CONGREGATIONUM

SUPREMA S. CONGREGATIO S. OFFICII

Dubium de Conventibus (quos dicunt) ad procurandam omnium christianorum unitatem. - *8 Iulii 1927* 278

S. CONGREGATIO CONSISTORIALIS

I. *Patavin. et Vicentin.* - Decretum dismembrationis et aggregationis. - *18 Martii 1927* 279

II. Provisio Ecclesiarum 280

S. CONGREGATIO CONCILII

Declaratio 253

S. CONGREGATIO DE PROPAGANDA FIDE

I. Provisio Ecclesiarum 281

II. Nominationes 282

S. CONGREGATIO RITUUM

I. *Brixien.* - Decretum super virtutibus in causa beatificationis et canonizationis Ven. Servae Dei Vincentiae Gerosa alterius Fundatricis Instituti Sororum a caritate in oppido Luere. - *24 Iulii 1927* 283

II. *Urbis et Orbis.* - Decretum de Officio et Missa in festo S. Teresiae a Iesu Infante. - *13 Iulii 1927* 286

III. Dubium. - *27 Iulii 1927* 289

DIARIUM ROMANAE CURIAE

I. Udienza diplomatica 290

II. Comunicato 290

III. S. Congregazione dei Riti: *Congregazioni Ordinaria, Generale* e *Preparatoria* . 290

IV. Segreteria di Stato: *Congregazioni assegnate ai novelli Cardinali. Nomine. Onorificenze* 291

V. Maggiordomato di S. S.: *Nomine* . . . 295

VI. Necrologio 296

Annus XIX - Vol. XIX 1 Augusti 1927 Num. 8

ACTA APOSTOLICAE SEDIS

COMMENTARIUM OFFICIALE

ACTA PII PP. XI

CONSTITUTIO APOSTOLICA

VICENTINA ET PATAVINA

DISMEMBRATIONIS ET AGGREGATIONIS

PIUS EPISCOPUS
SERVUS SERVORUM DEI
AD PERPETUAM REI MEMORIAM

Pro Apostolico munere quo, licet immerito, fungimur, in his partes Nostras libenter interponimus, quae ad concordiam et pacem inter christifideles pertinere dignoscuntur, dioecesium limites aliquando immutantes, quum ad controversias praecipue dirimendas quae propter ipsarum limites oriri possunt, id oportere videatur. Cum itaque inter paroeciam civitatis *Thiene*, Patavinae dioecesis, et paroeciam loci *Molina* dioecesis Vicentinae, quae in territorio municipii *Malo* nuncupati continetur, vetus controversia haberetur de finibus, quibus et ipsae dioeceses Patavina et Vicentina discriminantur, semel et iterum a S. Sede eiusque Delegatis quaestio haec fuit quidem definita, nunquam tamen ad effectum et exsecutionem deducta est. In praesenti vero, instante praesertim parocho loci *Molina*, denuo ad trutinam est revocata et S. Sedis examini et iudicio subiecta.

Quare Nos, auditis Archipresbytero paroeciae civitatis *Thiene*, duobus locorum Ordinariis, et suppleto etiam quorum interest, vel qui sua interesse praesumant, consensu, de consulto dilectorum filiorum Nostrorum S. R. E. Cardinalium rebus consistorialibus praepositorum, omnibus mature perpensis, de Apostolicae potestatis plenitudine, ad omnem contro-

versiam finiendam haec quae sequuntur censuimus, decernimus et statuimus: nimirum ut civiles fines municipii loci *Malo* iidem sint ac fines ecclesiastici paroeciae loci *Molina* ita nempe ut parochus loci *Molina* iurisdictionem suam extendat ad totam eam territorii partem quae civiliter subest municipio loci *Malo;* et cohaerenter huiusmodi territorii partem a Patavina dioecesi dismembramus et seiungimus et dioecesi Vicentinae eam aggregamus, mandantes ut ita sint in posterum definiti dioecesium Patavinae et Vicentinae fines. Ad haec autem exsecutiòni mandanda deputamus venerabilem fratrem Ferdinandum Rodolfi, Episcopum Vicentinum, cum necessariis et opportunis facultatibus, etiam subdelegandi alium virum in ecclesiastica dignitate vel officio constitutum, itemque pronuntiandi super quavis oppositione in exsecutionis actu quomodolibet oritura; iniuncto eidem onere intra sex menses, a subsignata die computandos, ad Sacram Congregationem Consistorialem authenticum exemplar peractae exsecutionis transmittendi. Volumus denique ut harum Litterarum transumptis, etiam impressis, manu tamen alicuius notarii publici subscriptis ac sigillo viri in ecclesiastica dignitate constituti munitis, eadem prorsus tribuatur fides, quae hisce Litteris tribueretur, si exhibitae vel ostensae forent. Decernentes dismembrationem et aggregationem huiusmodi et has Nostras Litteras perpetuo validas, firmas et efficaces exsistere et fore, et ab omnibus quos illae concernunt perpetuo et inviolabiliter observari debere; irritum quoque et inane quidquid secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus Apostolicis ceterisque omnibus speciali licet atque individua mentione ac derogatione dignis in contrarium facientibus quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Petrum, anno Domini millesimo nongentesimo vigesimo septimo, die vigesima octava mensis Ianuarii, Pontificatus Nostri anno quinto.

✠ B. Card. POMPILJ, Ep. Veliternus. O. Card. CAGIANO,
S. R. E. Cancellarius.

Dominicus Jorio, *Protonotarius Apostolicus.*
Dominicus Spolverini, *Protonotarius Apostolicus.*

Loco ✠ Plumbi

Reg. in Cane. Ap., vol. XXXV, n. 60. – M. Riggi.

LITTERAE APOSTOLICAE

I

NOVA DELIMITATIO INTER VICARIATUS APOSTOLICOS DE MACKENZIE ET DE ATHABASKA, QUI EST IN POSTERUM DE GROUARD DENOMINANDUS.

PIUS PP. XI

Ad futuram rei memoriam. — Quae ad rei sacrae procurationem melius gerendam expedire videantur, ut mature praestemus Nos admonet supremi officium Apostolatus, quo in terris divinitus fungimur. Iamvero cum in America Septentrionali, illa regio vicariatus apostolici de Athabaska, quae ad orientem lineae meridianae 113^{ae} (long. occ. a meridiano Greenwich) sita est, haud facile ab eodem Vicario Apostolico queat lustrari, incolasque capiat, qui magna affinitate sociantur cum tribubus indigenis vicariatus apostolici de Mackenzie proxime continentis, opportunum maxime visum est ad rei christianae bonum atque incrementum utriusque vicariatus limites immutare. Conlatis itaque consiliis cum venerabilibus fratribus Nostris S. R. E. Cardinalibus negotiis Propagandae Fidei praepositis omnibusque adiunctis sedulo studio perpensis, motu proprio atque ex certa scientia et matura deliberatione Nostris deque apostolicae Nostrae potestatis plenitudine, praesentium tenore, regionem quae vergit ad orientem lineae meridianae 113^{ae} a vicariatu apostolico de Athabaska seiungimus sive dismembramus, eandemque, ita per Nos separatam, finitimo vicariatui apostolico de Mackenzie adiungimus, ita ut ipsa linea meridiana 113^{a} posthac limes sit inter ambas superenunciatas Missiones. Cum vero, mutato sic limite, flumen Athabaska itemque lacus et urbs nominis eiusdem, a territorio vicariatus apostolici de Athabaska nunc exclusa maneant, eadem Nostra auctoritate, praesentium tenore, volumus ut idem vicariatus apostolicus iam non de Athabaska sed de *Grouard* posthac nomen habeat, ab illius Vicarii Apostolici sede deductum.

Haec mandamus, edicimus, decernentes praesentes Litteras firmas, validas atque efficaces iugiter exstare ac permanere, suosque plenos atque integros effectus sortiri atque obtinere; illisque ad quos spectant, sive spectare poterunt, nunc et in posterum amplissime suffragari; sicque rite iudicandum esse ac definiendum; irritumque ex nunc et inane fieri si quidquam secus super his a quovis, auctoritate qualibet, scienter sive ignoranter, attentari

contigerit. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus Apostolicis, ceterisque in contrarium facientibus quibuscumque.

Datum Romae apud Sanctum Petrum, sub anulo Piscatoris, die XV mensis Martii anno MDCCCCXXVII, Pontificatus Nostri sexto.

P. CARD. GASPARRI, *a Secretis Status.*

II

IMMUTATIO FINIUM INTER VICARIATUM APOSTOLICUM DE ORANGE ET PRAEFECTURAM APOSTOLICAM DISTRICTUS CENTRALIS PROMONTORII BONAE SPEI.

PIUS PP. XI

Ad futuram rei memoriam. — In omnes catholici orbis partes, vel longo terrarum marisque spatio seiunctas, oculos mentis Nostrae convertimus, tamquam e sublimi specula, ex hac Divi Petri Cathedra quam, nullis quidem meritis Nostris, divinitus obtinemus. Iamvero cum Vicarius Apostolicus Orange Fluminis, et Praefectus Apostolicus Districtus centralis Promontorii Bonae Spei in Africa Meridionali, Nos nuper flagitaverint ut inter suas finitimas Missiones quaedam limitum immutatio adsignaretur; Nos, omnibus rei momentis attente perpensis cum venerabilibus fratribus Nostris Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalibus negotiis Propagandae Fidei praepositis, ut evangelizationis opus in quibusdam memoratarum Missionum territoriis aptius promoveatur, supradictis precibus concedendum ultro libenterque existimavimus. Itaque motu proprio atque ex certa scientia et matura deliberatione Nostris, deque apostolicae Nostrae potestatis plenitudine, praesentium tenore, volumus ac statuimus ut districtus de *Prieska* vulgo nuncupatus, ad praefecturam apostolicam Districtus centralis Promontorii Bonae Spei modo pertinens, separetur ab illa et vicariatui Orange Fluminis concedatur; districtus autem de *Galvinia* et de *Frasenburg* a vicariatu Orange Fluminis distracti sive separati, enunciatae praefecturae apostolicae Districtus centralis Promontorii Bonae Spei tribuantur atque adsignentur.

Haec edicimus, decernentes praesentes Litteras firmas validas atque efficaces iugiter exstare ac permanere, suosque plenos atque integros effectus sortiri atque obtinere illisque ad quos spectant sive spectare poterunt, nunc et in posterum amplissime suffragari; sicque rite iudicandum ac decernendum esse: irritumque ex nunc et inane fieri si quidquam secus super his a quovis, auctoritate qualibet, scienter sive ignoranter, attentari conti-

gerit. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus Apostolicis ceterisque in contrarium facientibus quibuscumque.

Datum Romae apud Sanctum Petrum, sub anulo Piscatoris, die XVI mensis Martii anno MDCCCCXXVII, Pontificatus Nostri sexto.

P. CARD. GASPARRI, *a Secretis Status.*

III

DISTRACTO TERRITORIO E VICARIATU APOSTOLICO DE SEOUL ERIGITUR PRAEFECTURA APOSTOLICA DE HPYENG-AN IN COREA.

PIUS PP. XI

Ad futuram rei memoriam. — Quae fidelium bono et religionis incremento bene, prospere feliciterque eveniant, ea ut mature praestemus Nos admonet supremi apostolatus officium, quo in terris divinitus fungimur. Iamvero cum vicariatus apostolicus de Seoul in Corea, amplitudine territorii et incolarum numero conspicuus, regionem amplectatur de *Hpyeng-an-to* in duas divisam provincias, alteram septentrionalem, alteram vero meridionalem, quae, fidelium numero in dies percrebrescente feliciter, peculiarem curam quoad spirituales populi necessitates requirere videtur, atque ipse Vicarius Apostolicus enixis precibus Nos flagitaverit ut tota illa regione de *Hpyeng-an-to* e vicariatu de Seoul detracta, in peculiarem apostolicam praefecturam per Nos erigatur, Nos votis his concedendum ultro libenterque existimavimus. Quae cum ita sint, praehabito voto venerabilis fratris Marii Giardini, Archiepiscopi titulo Edesseni, Delegati Apostolici in Iaponia, et collatis consiliis cum venerabilibus fratribus Nostris Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalibus negotiis Propagandae Fidei praepositis, omnibusque rei momentis diligenter perpensis, motu proprio atque ex certa scientia et matura deliberatione Nostris, deque apostolicae Nostrae potestatis plenitudine, praesentium tenore, territorium de *Hpyeng-an-to*, quod in provincias septentrionalem et meridionalem partitur, a vicariatu apostolico de Seoul seiungimus sive dismembramus, illudque sic per Nos separatum in novam praefecturam apostolicam erigimus, cui nomen facimus de *Hpyeng-an* et quam curis Societatis pro Missionibus Exteris de Maryknoll committimus.

Haec edicimus, mandamus, decernentes praesentes Litteras firmas validas atque efficaces iugiter exstare ac permanere, suosque plenos atque integros effectus sortiri atque obtinere, illisque ad quos spectant seu spectare

poterunt nunc et in posterum plenissime suffragari; sicque rite iudicandum esse ac definiendum, irritumque ex nunc et inane fieri si quidquam secus super his a quovis, auctoritate qualibet scienter sive ignoranter attentari contigerit. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus Apostolicis ceterisque in contrarium facientibus quibuscumque.

Datum Romae apud Sanctum Petrum, sub anulo Piscatoris, die XVII mensis Martii anno MDCCCCXXVII, Pontificatus Nostri sexto.

P. CARD. GASPARRI, *a Secretis Status.*

IV

DISMEMBRATIO ET ERECTIO PRAEFECTURAE APOSTOLICAE DE KAGOSHIMA IN IAPONIA.

PIUS PP. XI

Ad perpetuam rei memoriam. — Aucto pastorum numero gregis incolumitati melius prospicitur, atque hoc ducti consilio, Nos quidem summi christiani gregis Pastores ut illius saluti prospiciamus, cum id expedire in Domino videatur, Sacrorum Antistitum numerum augemus. Iamvero cum venerabilis frater b. m. Ioannes Combaz, Episcopus Nagasakiensium, iam instanter Nos postulaverit ut ob territorium latissime patens suae iurisdictioni subiectum et incolarum ibidem commorantium multitudinem, ipsa Nagasakiensis dioecesis, Apostolica auctoritate, dividatur, atque e territorio ab eadem separato nova apostolica condatur praefectura; Nos votis his, quae in spirituale cedunt fidelium bonum, ultro libenterque annuendum existimavimus. Itaque, praehabito voto venerabilis fratris Marii Giardini, Archiepiscopi titularis Edessensis, Delegati Apostolici in Iaponia, omnibusque rei momentis attente perpensis cum venerabilibus fratribus Nostris Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalibus negotiis Propagandae Fidei praepositis, motu proprio atque ex certa scientia et matura deliberatione Nostris deque apostolicae Nostrae potestatis plenitudine, praesentium tenore, territorium, quod civiles praefecturas de *Kagoshima* et *Okinawa* complectitur, a dioecesi Nagasakiensi seiungimus, idemque territorium sic per Nos seiunctum sive dismembratum, in praefecturam apostolicam novam erigimus, cui nomen facimus de *Kagoshima* et quam curis Ordinis Minorum Fratrum concredimus.

Haec statuimus, decernentes praesentes Litteras firmas, validas atque efficaces iugiter exstare ac permanere; suosque plenos atque integros effectus sortiri atque obtinere; illisque ad quos spectant sive spectare poterunt

nunc et in posterum amplissime suffragari; sicque rite iudicandum esse ac definiendum, irritumque ex nunc et inane fieri si quidquam secus super his a quovis, auctoritate qualibet, scienter sive ignoranter, attentari contigerit. Non obstantibus contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud Sanctum Petrum, sub anulo Piscatoris, die XVIII mensis Martii anno MDCCCCXXVII, Pontificatus Nostri sexto.

P. CARD. GASPARRI, *a Secretis Status.*

EPISTOLAE

I

AD EM̃UM P. D. PETRUM TIT. S. CHRYSOGONI S. R. E. CARD. MAFFI, ARCHIEPISCOPUM PISANUM, VIGESIMUM QUINTUM EPISCOPATUS ANNUM FELICITER EXPLENTEM.

PIUS PP. XI

Dilecte fili Noster, salutem et apostolicam benedictionem. — Libentissime sane didicimus pergrata te in Pastorum Principem voluntate affici, tecum ipse recolendo, quot quibusque gratiis Deus per viginti quinque episcopatus tui annos – qui quidem III Idus Iunias feliciter explebuntur – pastorale munus tuum sit continenter prosecutus. Quorum quidem divinorum munerum recordationem non modo, uti scribis, gratam voluntatem tuam in Deum excitare; sed gaudio etiam laetitiaque te omnino perfundere consentaneum est: siquidem, divino fretus auxilio, laboribus nunquam pepercisti ut concreditum tibi gregem, a fallacibus errorum semitis remotum, per aeternae salutis pascua sedulo diligenterque conduceres. Nil igitur mirum si clerus populusque tuus amantissimus, laetum huiusmodi eventum peculiaribus amoris significationibus concelebrare percupiat. Id profecto postulant cum praeclara tua in istam dioecesim promerita, quibus per hosce annos omnium animos tibi arctissime devinxisti, tum egregia illa sacrarum prophanarumque rerum doctrina qua polles, quaque iure meritoque a quovis virorum ordine doctissimus haberis. Quod praeterea Nobis perlatum est fore ut, eodem ipso die, paroecialem S. Catharinae aedem, ad pristinam dignitatem nuper restitutam, sacris peragendis iterum adhibeatis, ac delatae istuc sollemni ritu Beati Ioannis a Rivalta exuviae fidelium cultui proponantur, id sane fructuosiorem augustioremque episcopatus tui natalem efficiet. Vota igitur, quibus omnes virtutis tuae aestimatores te prosequuntur, ominibus Nostris cumulamus, id potissimum a

Deo precati ut ad Ecclesiae Sanctae utilitatem te quam diutissime sospitet. Ut autem habeas paternae Nostrae benevolentiae testimonium tibi damus ut, sacris operatus, adstantibus nomine Nostro benedicas, plenissimam eisdem admissorum veniam proponens, statis condicionibus lucrandam. Divinorum insuper munerum conciliatrix apostolica sit benedictio quam tibi, dilecte fili Noster, clero populoque tuo, amantissime in Domino impertimus.

Datum Romae apud Sanctum Petrum, die XX mensis Maii anno MDCCCCXXVII, Pontificatus Nostri sexto.

PIUS PP. XI

II

AD EMUM P. D. ALOISIUM S. GEORGII IN VELABRO S. R. E. DIAC. CARD. SINCERO, QUEM LEGATUM MITTIT IN BELGICAM AD SOLEMNEM S. HUBERTI EPISCOPI CELEBRATIONEM.

PIUS PP. XI

Dilecte fili Noster, salutem et apostolicam benedictionem. — Singulari quadam pietate colitur, uti nosti, in Belgico praesertim regno, S. Hubertus, utpote qui tamquam illius regionis Apostolus ab omnibus habeatur. Is enim, nobili genere in Aquitania ortus, non sine mira divinae gratiae ope, principum aulis relictis, ad immortalitatis assequendam coronam, se totum aeterni Regis servituti dedidit; tantumque brevi in omnium virtutum laude profecit ut dignus visus sit qui, post S. Lamberti necem, cui quidem in regenda dioecesi sedulam navarat operam, Maestrictensis Episcopus eligeretur. Cum autem Leodiam honoris sui sedem transtulisset, primus fuit illius urbis sacrorum Antistes; atque omnes norunt quam egregie eius studium eluxerit in proximorum salute modis omnibus quaerenda. Vir in sermone potens, non solum, uti fertur, reliquos idolorum cultores in Arduenna, Brabantia aliisque locis finitimis, ad christianam fidem convertit; sed etiam ut omnes in fide ipsa *radicati et fundati* persisterent pro viribus elaboravit. Quemadmodum, dum vixit, visus est virtutis exemplum omnibus ad imitandum propositum, ita, magna vis est beneficiorum quae ipse, cum plurimum gratia valeat apud Deum, inde ab obitu in exorantes fideles nullo non tempore contulit. Itaque mirum non est si nunc, duodecimo abeunte saeculo ex quo in caelum avolavit, cives cuiusque ordinis ex Belgico regno, nec pauci ex propinquis Galliae, Luxemburgi et Hollandiae regionibus, percupiant grata eum memoria prosequi, praecipue in urbe

quae ab ipso S. Huberti nomen traxit. Iamvero cum instanter petierit a Nobis Namurcensis Episcopus, cuius quidem in dicione est urbs illa, ut Legatum Nostrum in eventu tam fausto mitteremus, libentes admodum te his Litteris, dilecte fili Noster, eligimus ut, Nostram gerens personam, sacris eis sollemnibus praesis; non dubitantes quin, pro eximia tua pietate dignitatisque amplitudine et clarissimorum virorum praesentia, in triumphum res cedat catholicae fidei, cuius S. Hubertus propugnator fuit invictissimus. Quo autem apertius pateat Nostra erga eos fideles benevolentia, tibi damus praeterea ut, sacris operatus, adstantem populum nomine Nostro benedicas, plenam eidem admissorum veniam proponens, ad Ecclesiae praescripta lucrandam. Interea, caelestium nuntiam munerum, tibi, dilecte fili Noster, sollerti Namurcensi Episcopo ceterisque sacris Pastoribus, iisque omnibus qui saecularibus sollemnibus intererunt apostolicam benedictionem effuso animo impertimus.

Datum Romae apud Sanctum Petrum, die XX mensis Maii anno MDCCCCXXVII, Pontificatus Nostri sexto.

PIUS PP. XI

III

AD RR. PP. MICHAELEM EVANGELISTI, MODERATOREM EREMITARUM CAMALDULENSIUM O. S. B., IOANNEM VALENZANI, PRAEPOSITUM EREMITARUM CAMALDULENSIUM MONTIS CORONAE, VINCENTIUM BARBAROSSA, ABBATEM GENERALEM MONACHORUM CAMALDULENSIUM: NONO EXEUNTE SAECULO AB OBITU S. ROMUALDI.

PIUS PP. XI

Dilecti filii, salutem et apostolicam benedictionem. — Compertum est Deum semper, pro Ecclesiae Sanctae necessitatibus, miros quosdam protulisse viros, qui pro suo quisque ingenio atque natura, variis conditis religiosorum familiis, alumnos suos vel tamquam sacros milites haereticis opponerent, vel quasi fidei satores per terrarum orbem mitterent, vel demum uti virtutum omnium cultores ingruentibus vitiis obiicerent. Hos inter praeclarum certe locum obtinet S. Romualdus, legifer pater vester, qui merito quidem eremiticae vitae in Occidente instaurator propagatorque sollertissimus habetur. Ecquis autem ignorat quantopere christianae civilique rei eius Ordo, temporibus maxime virtuti fideique infensis, profuerit? Camaldulenses enim, inter alia, non modo assiduis precibus aeterna-

rumque rerum contemplationi vacando divina auxilia militanti Ecclesiae conciliare consueverunt, sed etiam et exempla severioris vitae proponendo pietatem in populo excitare et codices olim multiplicando veteris sapientiae monumenta servare conati sunt. Immerito igitur nonnulli vitam improbant quam agunt in recessibus monachi, quasi otiosa sit vel inutilis; hi enim cum nobilia omnia atque praeclara non negligant, eo potissimum spectant ut, per asperam Crucis viam, caelestia terrenis anteponant, quod quidem vivendi genus tanti a christifidelibus aestimari debet quanti ab Ecclesia Dei vel a prioribus aetatibus continenter habitum est. Quapropter feliciter mox continget ut nonum expleatur saeculum ex quo vir sanctissimus Romualdus ad gloriam triumphantis Ecclesiae evectus est. In qua rei faustitate suadet profecto utilitas non minus quam decus ut sollemniter vos tanti viri memoriam celebretis, eo magis quod per has honoris significationes recordatio etiam fit sanctitatis antiquae. Dum tanta in praesens dominatur ubique voluptatum cupiditas, opportune sane memoratur S. Romualdi austeritas ac poenitentiae ostenditur via qua aeternam homines salutem assequantur. Imprimisque vobis opus est, dilecti filii, ut religiosum legiferi Patris spiritum in vobis suscitetis: cum caritatem mutuam inter vos excitantes tum illam vitae sanctae disciplinam studiosius in dies excolentes qua Conditor ipse in exemplum praefulsit. Ita vos, ut ait Apostolus, *mortui estis, et vita vestra est abscondita cum Christo in Deo:* mortui scilicet fluxis mundi rebus, sed alte in caelestibus defixi; siquidem haec una demum dicenda est vita veri nominis, quae perenni Christi gratia roboratur, quae in Deo semper manet, quaeque iam ex hac mortali aetate aeternae beatitatis gaudiis quasi perfunditur. Ad Nos quod attinet, ut conceptum ex saeculari eventu fervorem impense vos retineatis, opportuna auxilia a Deo vobis precamur; quo autem eiusmodi commemoratio augustior fiat, libenter damus ut qui sacris sollemnibus praefuerit in praecipua uniuscuiusque Congregationis domo celebrandis, adstantibus nomine Nostro benedicat, plenam eisdem admissorum veniam proponens, ad praescripta Ecclesiae lucrandam. Interea caelestium auspex munerum itemque paternae benevolentiae Nostrae testis apostolica sit benedictio quam vobis, dilecti filii, singulisque sodalibus vestris effuso animo impertimus.

Datum Romae apud Sanctum Petrum, die v mensis Iunii anno MDCCCCXXVII, Pontificatus Nostri sexto.

PIUS PP. XI

IV

AD R. P. D. AUGUSTUM HLOND, ARCHIEPISCOPUM GNESNENSEM ET POSNANIENSEM, OB PRIMUM EUCHARISTICUM CONVENTUM IN POLONIA CELEBRANDUM.

PIUS PP. XI

Venerabilis frater, salutem et apostolicam benedictionem. — Nos quidem Sacramenti augusti cultum per eucharisticos conventus impensius in dies, pro re nata, amplificare, ad extremum vitae spiritum, Deo dante, studebimus: satis enim experiundo compertum est quantum conferant hi coetus cum ad fidem caritatemque augendas, tum ad spem aeternae gloriae roborandam; cumque Eucharistia quasi centrum sit christianae religionis, nemo est qui non videat, divinam vim continuo inde erumpentem et ordinem rerum prorsus novum afferre et in venas omnes societatis domesticae civilisque dimanare. Quare libenti animo didicimus eucharisticam congressionem mox actum iri in urbe *Inowrocław*, eoque non modo clerum populumque ex tuis archidioecesibus, sed etiam plurimos ex vicinia catholicos sacrorumque Antistites non paucos conventuros esse. Ac meritam sane laudem iis omnibus hic tribuimus qui apparandae rei operam quoquo modo dederunt; eo magis quod, cum primum congressus huiusmodi in Polonia celebretur, spem fovemus alios etiam ibidem eum esse consecuturos. Urgete igitur optimum coeptum; tum prisca instituta, sicubi obsoleverint, instaurando, ut sodalicia eucharistica, ut supplicationes Sacramento augusto ad adorandum proposito, ut alia huius generis opera; tum instando potissimum ut frequens Eucharistiae usus in Polona gente revirescat. Ita enim auspicato fiet ut, comploratis vitiis, mirabili religionis ardore inde accendantur fideles, atque, publice regia Christi potestate agnita, varii hominum ordines, sanctissimis legibus obtemperando, divino pacis et prosperitatis dono frui queant. Nos vero ut res ex sententia cedat, opportuna vobis munera a Deo precamur; et indulgentias, privilegia, indulta, dispensationes confirmantes, quae in Apostolicis Litteris die VII mensis Martii anno MDCCCCXXIV datis, largiti sumus, in caelestium gratiarum auspicium itemque in paternae benevolentiae Nostrae signum, tibi, venerabilis frater, iisque omnibus qui conventui intererunt apostolicam benedictionem effuso animo impertimus.

Datum Romae apud Sanctum Petrum, die VIII mensis Iunii anno MDCCCCXXVII, Pontificatus Nostri sexto.

PIUS PP. XI

V

AD EMUM P. D. ALEXANDRUM TIT. S. AUGUSTINI S. R. E. PRESB. CARD. KAKOWSKI, ARCHIEPISCOPUM VARSAVIENSEM ET AD CETEROS ARCHIEPISCOPOS ET EPISCOPOS POLONIAE: COMMUNIBUS LITTERIS RESPONDET E CONVENTU VARSAVIENSI DATIS.

PIUS PP. XI

Dilecte fili Noster et venerabiles fratres, salutem et apostolicam benedictionem. — Quamquam de condicione rerum in quibus Ecclesia apud vos versatur saepe certiores Nos facere consuevistis, gratissimae tamen Nobis eae litterae fuerunt quas e Varsaviensi conventu coniunctim dedistis; ut enim dioecesium vestrarum bono in hac difficultate temporum consuleretis, opportune pollicebamini actionem catholicam, quam vocant, ad Apostolicae huius Sedis praescripta non semel edita, studiose vos provecturos esse. Nemo non videt quam immensus pateat laboris campus, ubi non solum clerus, sed etiam lecti de populo viri sollertiam suam modis omnibus exercere queant. Nec minus iucunda Nobis ea fuit grati animi significatio quam praebere voluistis quia egregium istum Apostolicae Sedis Nuntium in amplissimum S. R. E. Cardinalium Collegium cooptavimus; eo magis quod recte vos peculiare quoddam benevolentiae Nostrae signum erga istam Rempublicam in hoc agnovistis. Quod ad vexationem pertinet Mexicanae gentis, non miramur equidem si dolorem inde tam impensum, ut scribitis, Poloni persentiant; utque pias preces pro fratribus fundere perseverent enixe rogamus. Ceterum diligenter quidem perpendimus quae vos, collatis consiliis, Nobis proposuistis; de eaque re opportunas normas per Apostolicum Nuntium Nostrum afferendas vobis iam curavimus. Atque Dei auxilia vobis precati ut quae prudenter statuistis in effectum deducatis, caelestium auspicem munerum itemque paternae voluntatis Nostrae testem, vobis, dilecte fili Noster et venerabiles fratres, singulisque dioecesibus unicuique vestrum concreditis apostolicam benedictionem effuso animo impertimus.

Datum Romae apud Sanctum Petrum, die x mensis Iunii anno MDCCCCXXVII, Pontificatus Nostri sexto.

PIUS PP. XI

VI

AD R. P. EDUARDUM HUGON, O. P., CUI ABSOLUTOS EDITOSQUE TRACTATUS DOGMATICOS GRATULATUR.

PIUS PP. XI

Dilecte fili, salutem et apostolicam benedictionem. — Cum Tractatus dogmaticos, quos vocasti, postremo edito haud ita pridem volumine, non sine magna intellegentium voluptate compleveris, equidem opus istud tuum, quemadmodum auspicato coeptum per Litteras Nostras probavimus, sic feliciter nunc absolutum paterno tibi ex animo gratulamur. Gratulamur autem, non modo causâ tuâ, cuius doctrinam atque in Summa Aquinatis interpretanda subtilitatem peritiamque placet iterato pontificalis benevolentiae testimonio commendare, sed etiam quia abs te optime consultum videmus studiosorum utilitatibus, qui in sacris disciplinis profecturi admodum sunt sive te in scholis audiunt sive scripta tua apud se idcirco manibus terunt quia, confecto studiorum curriculo, fidei dogmata altius retractare velint ac recognoscere. In quo cur heic repetamus vel revocemus amplissimas laudes, quibus, quarto ante anno, oblatos Nobis tractatus prosecuti sumus? Satius enim putamus publice confirmare, te, theologiae positivae lumina cum Scholasticae principiis coniungendo, Deo dante, effecisse, ut presso dicendi genere unum quoddam sacrae doctrinae corpus, ad mentem Angelici, sapienter digesseris atque ordinaveris. Cum igitur de divinarum rerum studiis tam praeclare sis meritus, ut praeclarius posthac mereri pergas cupimus atque optamus cum caelestium gratiarum emolumentis; quarum quidem gratiarum conciliatrix atque auspex sit apostolica benedictio, quam tibi, dilecte fili, peramanter in Domino impertimus.

Datum Romae apud Sanctum Petrum, die XXV mensis Iulii anno MDCCCCXXVII, Pontificatus Nostri sexto.

PIUS PP. XI

ACTA SS. CONGREGATIONUM

SUPREMA SACRA CONGREGATIO S. OFFICII

DUBIUM

DE CONVENTIBUS (QUOS DICUNT) AD PROCURANDAM OMNIUM CHRISTIANORUM UNITATEM.

Occasione conventus, qui diebus 3–21 proximi mensis Augusti habebitur Lausonii in Helvetia, propositum est Supremae Sacrae Congregationi S. Officii dubium:

« An liceat catholicis interesse vel favere acatholicorum conventibus, coetibus, concionibus, aut societatibus quae eo spectant ut omnes christianum nomen utcumque sibi vindicantes uno religionis foedere consocientur? »

In Congregatione Generali, Feria IV, die 6 Iulii 1927, Emi ac Revmi Domini Cardinales in rebus fidei et morum Inquisitores Generales respondendum mandarunt:

« *Negative*, atque standum omnino decreto ab hac ipsa Suprema Sacra Congregatione die 4 Iulii 1919 edito *De participatione catholicorum societati* " Ad procurandam christianitatis unitatem ,, ».

Ssmus Dominus Noster D. Pius div. Prov. Pp. XI sequenti Feria V, die 7 eiusdem mensis et anni, in solita audientia R. P. D. Adsessori S. O. impertita, relatam sibi Emorum Patrum resolutionem approbavit et publicari iussit.

Datum Romae, ex Aedibus S. Officii, die 8 Iulii 1927.

Aloisius Castellano,

L. ✠ S. *Supremae S. C. S. Off. Notarius.*

SACRA CONGREGATIO CONSISTORIALIS

I

PATAVIN. ET VICENTIN.

DISMEMBRATIONIS ET AGGREGATIONIS

DECRETUM

Pertinet ad paroeciam de *Curtarolo*, in Patavina dioecesi, territorium quoddam, dexteram oram fluminis *Brenta* attingens ac finibus paroeciae de *Vaccarino*, dioecesis Vicentinae, undequaque circumscriptum, quod in praesenti incolunt sex numero familiae, fere quinquaginta animas complectentes.

Porro familiae hae enixa prece postularunt ut dictum territorium a Patavina paroecia de *Curtarolo* dismembraretur et Vicentinae paroeciae de *Vaccarino* potius uniretur, tum cum sit valde remotum a sua ecclesia paroeciali de *Curtarolo* et contra sit propinquum ad illam de *Vaccarino*, ad quam ipsae familiae pietatis ac religionis obligationibus satisfaciendis iam solent accedere, tum etiam cum ad civile municipium quod dicitur *Piazzola sul Brenta* pertineat, cuius est pars territorium quoque paroeciam de *Vaccarino* constituens.

Huiusmodi precibus, suffragantibus utriusque dioecesis Ordinariis, Ssmus Dominus Noster Pius divina Providentia Pp. XI benigne annuendum censuit. Quapropter, suppleto, quatenus opus sit, quorumcumque in hac re interesse habentium vel habere praesumentium, consensu, ex certa scientia deque Apostolicae potestatis plenitudine, hoc Consistoriali decreto, perinde valituro ac si Apostolicae sub plumbo Litterae expeditae essent, statuit ut memoratum territorium cum suis incolis a paroecia de *Curtarolo* et a dioecesi Patavina dismembretur atque paroeciae de *Vaccarino* ac dioecesi Vicentinae aggregetur, sicuti de facto illud dismembrat et aggregat.

Ad haec omnia autem exsecutioni mandanda, eadem Sanctitas Sua deputare dignata est R. P. D. Ferdinandum Rodolfi, Episcopum Vicentinum, cum facultatibus necessariis et opportunis, etiam subdelegandi, ad effectum de quo agitur, alium virum in ecclesiastica dignitate constitutum, itemque pronuntiandi super quavis oppositione in exsecutionis actu quomodolibet oritura; iniuncta eidem obligatione intra sex menses, a

subsignata die computandos, transmittendi ad hanc Sacram Congregationem authenticum exemplar peractae exsecutionis. Contrariis quibuslibet minime obstantibus.

Datum Romae, ex aedibus Sacrae Congregationis Consistorialis, die 18 Martii 1927.

✠ C. Card. De Lai, Episc. Sabinen. et Mandelen., *Secretarius.*

L. ✠ S.

† Fr. Raphaël C., Archiep. Thessalonicen., *Adsessor.*

II

PROVISIO ECCLESIARUM

Ssmus Dñus Noster Pius divina Providentia Pp. XI, decretis Sacrae Congregationis Consistorialis, Ecclesias quae sequuntur de proprio singulas Pastore providit, nimirum:

1 Iulii 1927. — Metropolitanae Ecclesiae Sanctae Severinae praefecit Ṙ. P. D. Antonium Galati hactenus Episcopum Oppidensem.

— Titulari episcopali Ecclesiae Dadimensi, R. P. D. Iosephum a Iesu Lopez, Vicarium generalem dioecesis de *Aguas Calientes*, quem constituit Auxiliarem R. P. D. Ignatii Valdespino y Diaz Episcopi eiusdem dioecesis.

7 Iulii. — Cathedrali Ecclesiae Catamarcensi, R. P. D. Innocentium Davila y Matos, hactenus Episcopum titularem Ostracinitensem.

— Cathedrali Ecclesiae Paranensi, R. D. Iulianum Martinez parochum praedictae cathedralis ecclesiae.

— Cathedrali Ecclesiae Cordubensi in America, R. D. Firminum Lafitte, parochum ad S. Nicolai civitatis Bonaerensis.

— Cathedrali Ecclesiae Sancti Iacobi de Extero, R. D. Audinum Rodriguez e dioecesi Cordubensi in America.

8 Iulii. — Cathedrali Ecclesiae Laudensi, R. P. D. Petrum Calchi-Novati, hactenus Episcopum Bobiensem.

— Cathedrali Ecclesiae Anagninae, R. D. Gaudentium Manuelli, Cubicularium intimum Sanctitatis Suae, archipresbyterum oppidi *Oleggio* dioecesis Novariensis.

12 Iulii. — Titulari episcopali Ecclesiae Selinuntinae, R. P. Iosephum Dinand, e Societate Iesu, quem constituit Vicarium Apostolicum Iamaicae.

15 Iulii. — Titulari episcopali Ecclesiae Thermopylensem, R. P. D. Henricum Thompson, iam Episcopum Giblatariensem.

— Cathedrali Ecclesiae Oleastrensi, R. D. Iosephum Miglior, Antistitem Urbanum, Vicarium generalem archidioecesis Calaritanae.

16 Iulii. — Titulari episcopali Ecclesiae Myrinensi, R. D. Eduardum Galvin, e Societate Missionum exterarum a S. Columbano, quem constituit Vicarium Apostolicum de Hanyang.

25 Iulii. — Titulari episcopali Ecclesiae Ostracinitensi, R. P. D. Alexandrum Berlioz, hactenus Episcopum Hakodatensem.

SACRA CONGREGATIO CONCILII

DECLARATIO

Cum Ioseph Paccagnella, sacerdos Patavinae dioecesis, mandatis huius S. C. Concilii circa exsecutionem quarundam piarum voluntatum non paruerit, eadem S. C. declarat praefatum sacerdotem Iosephum Paccagnella incurrisse interdictum personale ad normam can. 2275 Codicis iuris canonici, illi comminatum inde a die 27 Aprilis 1927.

Datum Romae, die 12 Iulii 1927.

D. Card. Sbarretti, *Praefectus.*

L. ✠ S.

† Iulius, Ep. tit. Lampsacen., *Secretarius.*

SACRA CONGREGATIO DE PROPAGANDA FIDE

I

PROVISIO ECCLESIARUM

Ssmus Dominus Noster Pius divina Providentia Pp. XI, decretis Sacri Consilii christiano nomini propagando, quae sequuntur Ecclesias de proprio Pastore providere dignatus est, nimirum:

25 Maii 1927. — Cathedrali Ecclesiae Giblatariensi praefecit R. D. Richardum Fitzgerald, e dioecesi Cloynensi.

18 Iunii. — Cathedrali nuper erectae Ecclesiae de Dinajpur in Indiis Orientalibus praefecit R. P. D. Sanctinum Taveggia, hactenus Episcopum Krishnagarensem.

— Cathedrali nuper erectae Ecclesiae de Chittagong in Indiis Orientalibus, R. D. Alfridum Lepailleur, ex Instituto Ssmae Crucis.

14 Iulii. — Cathedrali Ecclesiae Poonensi, R. P. D. Henricum Doëring, e Societate Iesu, hactenus Archiepiscopum titularem Madytensem.

— Cathedrali Ecclesiae de Fukuoka nuper erectae in Iaponia, R. D. Ferdinandum Thiry, e Societate Parisiensi pro Missionibus Exteris.

16 Iulii. — Cathedrali Ecclesiae de Nagasaki, R. D. Ianuarium Hayasaka, e dioecesi Hakodatensi.

II

NOMINATIONES

Brevibus Apostolicis nominati sunt:

21 Aprilis 1927. — *Vicarius Apostolicus novi vicariatus de Lang-Long*, R. D. Alexander Carlo, e Societate Parisiensi pro Missionibus Exteris.

8 Iunii. — *Vicarius Apostolicus de Rabat in Africa Septentrionali*, R. P. Henricus Vielle, ex Ordine Fratrum Minorum.

Successivis decretis Sacra Congregatio de Propaganda Fide renunciavit ad suum beneplacitum:

18 Iunii 1927. — R. D. Henricum Breuer, ex Congregatione Oblatorum B. M. V. Immaculatae, *Praefectum Apostolicum de Pilcomayo.*

21 Iunii. — R. D. Erminium Bonetta, e Pont. Instituto Missionum ad exteros a SS. Petro et Paulo, Ambrosio et Carolo, *Praefectum Apostolicum de Keng-tung.*

2 Iulii. — R. D. Augustinum Wachter, e Congregatione Missionariorum S. Iosephi de Mill Hill, *Praefectum Apostolicum de Borneo septentrionali.*

15 Iulii. — R. P. Edgardum Häring, O. F. M., *Praefectum Apostolicum de Shohchow.*

19 Iulii. — R. P. Clementem van der Pas, O. Carmelitarum, *Praefectum Apostolicum nuper erectae praefecturae de Malang in insula Iava.*

SACRA CONGREGATIO RITUUM

I

BRIXIEN.

BEATIFICATIONIS ET CANONIZATIONIS VEN. SERVAE DEI VINCENTIAE GEROSA ALTERIUS FUNDATRICIS INSTITUTI SORORUM A CARITATE IN OPPIDO LUERE.

SUPER DUBIO

An constet de virtutibus theologalibus Fide, Spe et Caritate in Deum ac proximum; necnon de cardinalibus Prudentia, Iustitia, Fortitudine, Temperantia earumque adnexis, in gradu heroico, in casu et ad effectum de quo agitur?

Etsi omnium, qui *amici Dei facti sunt*, praeclara vita numquam careat exemplis, quae plerique imitari queant, uti est divi Ambrosii sententia: *Sanctorum vita ceteris norma vivendi est* (Ep. XXII); aliquorum tamen mortalis cursus is fuit, ut eorum sanctitas videatur aliena nemini. Huiusmodi porro censenda est vitae ratio quam sibi constituit constanterque tenuit Ven. Dei Famula Vincentia Gerosa, quae ingenuitate et humilitate apprime omnium admirationem et amorem sibi conciliavit. Ab ineunte aetate castimoniam non modo, sed virginitatem illibatam servare statuit, et quod mente conceperat usque ad obitum fideliter praestitit, modestiam in ore, habitu, incessu, moribusque suis omnibus praeferens eximiam. Parentes sortita honestissimos, qui coriorum mercaturam exercebant, suam iisdem praestare operam non renuit, imo et nundinas frequentare est coacta, in quibus eius virtus admiratores multos nacta est. Cibi parsimonia delectabatur et poenitentiae instrumenta adhuc adulescentula adhibere coepit, ut innocens manibus et mundior corde propius caelesti Sponso, qui pascitur inter lilia, accederet. Repudiatis nuptiis a parentibus sibi oblatis, in deliciis habuit puellas apud se congregare cunctis diebus festis, ac praecipue saturnalium tempore, easque honestis lusibus piisque precibus, interpositis interdum modestis refectiunculis, morabatur, ut pietate et doctrinae praeceptis excoleret, atque a peccandi periculis arceret.

Parentibus orbata, patruis et amitis subiecta permansit, nihil in sua agendi ratione inducens quod novitatem saperet. Uni quippe Deo placere contendens, qui corda scrutatur ac renes, nullis fraudulosis technis, nullis

anfractibus in operando, nullis ambagibus in dicendo unquam est usa. Puram ac lucidam oculi sui pupillam habens, nihil obliquum aut perversum in aliorum actibus latère suspicabatur, iudicandi condemnandique munus ad Deum pertinere dignoscens, nihil de quopiam temere iudicavit, atque ita promeruit servavitque candidae simplicitatis laudem.

Tricesimum iam attigerat aetatis annum, dum, sancto inito foedere cum Bartholomaea Capitanio, superiore anno inter Beatas Virgines solemni ritu relata, vocationi quam iam dudum experiebatur, se et bona sua impendendi in puellarum tutamen et aegrotantium solamen, intendere decrevit. Puellarum itaque societatem instituit, quam sub Beatissimae Virginis Mariae tutela posuit, sacellumque instauravit quo eaedem pro pietatis obeundis officiis convenirent, atque nosocomium egenis aegrotantibus aperuit ac necessaria supellectili instruxit. Quibus ministrandis ipsamet Dei Famula, una cum germana sorore sua Rosa, solertem operam impendere suscepit; verum triennio post grave passa est infortunium ob sororis amantissimae obitum. Ad eam solandam praesto fuit Bartholomaea Capitanio, quae eidem mentem suam manifestavit novi condendi sodalitii in eodem oppido Luere, ipsamque tamquam sociam et adiutricem sibi adesse rogavit. Negotii gravitatem formidavit Ven. Ancilla Dei, suamque ineptitudinem, ut sese a tanti oneris pondere liberaret, afferebat. Sed incassum: divinitus quippe provisum erat, ut duae istae mulieres veluti *cor unum et anima una* opus perficerent, quod pro Dei gloria et animarum salute B. Bartholomaea Capitanio molita fuerat. Quum autem in novo sodalitio, quod a Caritate nuncupatum fuit, omnia prospere fausteque progrediebantur, immatura morte sublata est Beata Bartholomaea, quae prope moritura Ven. Vincentiam designavit, quae sibi in regimine et gubernio Instituti succederet. Arduum sane contigit, ut Ven. Serva Dei, quae se obtemperando aptiorem quam gubernando censebat, impositum sibi pondus susciperet; quod sane nonnisi ex obedientiae praecepto assumpsit, tantaque alacritate obivit, ut decem annorum spatio quadraginta domibus auctum ac florens sodalitium conspexerit. In hoc salebroso itinere numquam Ven. Dei Famula collapsa est, numquam constitit ut quiesceret, numquam de animi contentione quidquam remisit, numquam tepuit aut elanguit in sancto fervore; sed quotidie maiora ostendebat incrementa virtutum, eiusque spiritus, dum corpus postremi morbi incommodis detinebatur, alacriore fiducia in Deum ferebatur. Neque mirum: etenim, « *iustorum semita quasi lux splendens procedit et crescit usque ad perfectum diem* » (*Prov.*, IV, 18).

E vivis sublato Ven. Famulae Dei corpore, latius patuit eiusdem eximiarum virtutum rerumque egregie gestarum fama, eiusque nomen

adhuc in benedictione est. Haec heroicae virtutis natura est, haec Christi eiusque sectatorum gloria, quae morte non moritur, sed proborum omnium memoria ac laude augescit et splendidius clarescit. Quum itaque primum datum fuit iuridicis probationibus de Ven. Servae Dei vitae sanctitatis et virtutum fama colligendis manus apponere, Episcopi Brixiensis auctoritate id peractum fuit; atque anno millesimo nongentesimo sexto, post accuratam disceptationem, Commissio introductionis Causae signata est a Pontifice Maximo sa. me. Pio X. Tum, nulla interiecta mora, Apostolicae tabulae conditae sunt, ceterisque iudiciis, quae rite constitutus iudicialis ordo ante dirimenda iubet, quam de virtutibus in specie cognitio proponatur, feliciter subinde absolutis, quumque cuncta praesto essent quae ad iuris tramitem paranda erant, habita est Congregatio Antepraeparatoria penes Reverendissimum Cardinalem Caietanum Bisleti, causae Relatorem, die decima secunda Augusti anno millesimo nongentesimo decimo nono. Interim locus datus est causae Bartholomaeae Capitanio quae ad optatum exitum properabat. Istius autem Beatificationis solemniis pompa splendidissima celebratis, coacta fuit die decima prima mensis Ianuarii vertentis anni Congregatio Praeparatoria super virtutibus eiusdem sociae lectissimae Vincentiae Gerosa in Apostolico Palatio Vaticano. Novissime vero, scilicet die decima secunda huiusce mensis, universus coetus sacrorum Rituum Congregationis generalia Comitia habuit coram Sanctissimo Domino nostro Pio Papa XI, in quibus a memorato causae Relatore ad discutiendum sequens propositum est Dubium: *An constet de virtutibus theologalibus Fide, Spe et Caritate in Deum ac proximum; necnon de cardinalibus Prudentia, Iustitia, Fortitudine, Temperantia earumque adnexis, in gradu heroico, in casu et ad effectum de quo agitur?* Sententias Reverendissimorum tum Patrum Cardinalium, tum Patrum Consultorum, ex ordine prolatas intento animo est prosecutus Beatissimus Pater, monitosque voluit cunctos qui convenerant, ut iteratis precibus caelestis luminis ampliorem opem expostulandam satagerent.

Hodiernam vero diem Dominicam septimam post Pentecosten quum designasset ut de re suum iudicium proferret, sacris devotissime operatus, ad se vocari mandavit Rmos Cardinales Antonium Vico, Episcopum Portuensem et S. Rufinae, sacrae Rituum Congregationi Praefectum, et Caietanum Bisleti, causae Relatorem, itemque R. P. Carolum Salotti, S. Fidei Promotorem generalem et me infrascriptum Secretarium; quibus adstantibus, Pontificio solio insidens, solemniter edixit: *Constare de virtutibus theologalibus Fide, Spe et Caritate in Deum ac proximum; nec non de cardinalibus Prudentia, Iustitia, Fortitudine, Temperantia earumque adnexis Ven. Servae Dei Vincentiae Gerosa, in gradu heroico, in casu et ad*

effectum, de quo agitur. Atque hoc Decretum publici iuris fieri, et in acta sacrae Rituum Congregationis inseri iussit, nono Kalendas Augustas, anno millesimo nongentesimo vicesimo septimo.

✠ A. Card. Vico, Ep. Portuen. et S. Rufinae,
S. R. C. Praefectus.

L. ✠ S.

Angelus Mariani, *Secretarius.*

II

Die 3 Octobris

S. TERESIÆ A JESU INFANTE, Virginis

Duplex

Omnia de Communi Virginis tantum, præter sequentia:

In I Vesperis

Pro Commemoratione: Ant. Veni, Sponsa Christi.

℣. Spécie tua.

Oratio

Dómine, qui dixísti: Nisi efficiámini sicut párvuli, non intrábitis in regnum cælórum: da nobis, quæsumus; ita beátæ Terésiæ Vírginis in humilitáte et simplicitáte cordis vestígia sectári, ut prǽmia consequámur ætérna: Qui vivis.

In II Nocturno

Lectio IV

Terésia a Jesu Infánte, Alensónii in Gállia, honéstis paréntibus, singulári et assídua erga Deum pietáte conspícuis, orta est. Inde a prima ætáte, Spíritu prævénta, religiósam vitam ágere cupiébat. Sério autem promísit, se nihil Deo denegatúram, quod ipse ab ea pétere viderétur: quam promissiónem fidéliter usque ad mortem serváre satégit. Quinto ætátis anno, matre amíssa, Dei providéntiæ se totam commísit sub vigilánti custódia amantíssimi patris, sororúmque natu maiórum: quibus magístris, Terésia ad curréndam perfectiónis viam ut gigas exsultávit. Novénnis virgínibus ex Ordine sancti Benedícti Lexóviis excolénda tráditur, ibíque in rerum divinárum cognitióne excéllere visa est. Décimo ætátis anno, arcánus et gravis morbus eam diu cruciávit, a quo, prout ipsa enárrat, ope Beatíssimæ Vírginis, quæ eídem subrídens appáruit, et quam, sub título Dóminæ

Nostræ a Victória, per novendiália invocáre stúduit, divínitus fuit liberáta. Tunc angélico fervóre repléta, ad sacrum convívium, in quo Christus súmitur, se diligentíssime præparáre curávit.

Lectio V

Ut prímitus eucharístico pane fuit refécta, insatiábilem cæléstis huius cibi famem haurire visa est: unde, velut inspiráta, Jesum rogábat, ut omnem mundánam consolatiónem in amaritúdinem sibi vérteret. Inde tenérrimo in Christum Dóminum et in Ecclésiam amóre exæstuans, nihil antíquius hábuit, quam Carmelitárum Excalceatórum Ordinem ingrédi, ut sui abnegatióne, suisque sacrifíciis, sacerdótibus, missionáriis, totíque Ecclésiæ opem afférret, et innúmeras ánimas Jesu Christo lucrifáceret: quod, iam morti próxima, apud Deum se factúram pollícita est. Propter ætátis defléctum, multas ad religiósam vitam amplecténdam nacta est difficultátes, quibus tamen incredíbili animi fortitúdine superátis, quíndecim annos nata, Lexoviénsem Carmélum felíciter ingréssa est. Ibi mirábiles Deus in Terésiæ corde ascensiónes dispósuit, quæ, Maríæ Vírginis vitam abscónditam imitáta, quasi hortus irríguus, flores ómnium virtútum germinávit, præcípue vero exímiæ in Deum et in próximum caritátis.

Lectio VI

Quo magis Altíssimo pláceret, quum in Sacris Scriptúris mónitum illud legísset: Si quis est párvulus, véniat ad me; párvula in spíritu esse vóluit, et inde filiáli fidúcia Deo, tamquam patri amantíssimo, se perpétuo trádidit. Hanc spirituális infántiæ viam, secúndum Evangélii doctrínam, álios dócuit, speciátim novítias, quas ex obediéntia ad religiosárum virtútum stúdium informándas suscépit, atque ita apostólico zelo repléta, mundo, supérbia infláto et vanitátes diligénti, evangélicæ simplicitátis iter patefécit. Sponsus autem Jesus eam patiéndi desidério, tam in ánima, quam in córpore, pénitus inflammávit. Insuper Dei caritátem undéquaque negléctam animadvértens, summo dolóre affécta, duóbus ante óbitum annis, Dei miseréntis Amóri se víctimam óbtulit. Tunc, ut ipsa refert, cæléstis ignis flamma vulneráta est: unde caritáte consúmpta, in écstasim rapta, ferventíssime ingéminans: Deus meus, te díligo; vigínti quátuor annos nata, die trigésima Septémbris, anno millésimo octingentésimo nonagésimo séptimo, ad Sponsum evolávit. Quod autem móriens promíserat, se perénnem rosárum plúviam in terram demissúram, hoc, in cælum recépta, innúmeris miráculis reápse adimplévit et in dies adímplet. Quare Pius Undécimus, Póntifex Máximus, die vigésima nona Aprílis, anno millésimo nongentésimo vigésimo tértio, eam inter beátas vírgines adscrípsit: quam

novis fulgéntem prodígiis, biénnio post, iubiláeo máximo recurrénte, décimo sexto kaléndas Júnias, solémniter sanctórum fastis accénsuit; ac dein ejus festum ad univérsam exténdit Ecclésiam.

Vesperae de sequenti, Commemoratio praecedentis.

Missa Dilexísti, *de Communi Virginum præter Orationem:* Dómine, qui dixísti, *ut in Officio.*

URBIS ET ORBIS

Ex quo caelitum honores Sanctae Teresiae a Iesu Infante, Virgini, Apostolica Sedes, suo supremo iudicio, anno millesimo nongentesimo vigesimo tertio, tribuendos esse decrevit, magna erga beatam Virginem ubique invaluit devotio; quae, innumeris beneficiis miraculisque, veluti rosarum imbre, foecundata, in dies magis ac magis mirifice crebrescit. Ea de causa, complures Sacrorum Antistites, imo vel ipsi Romanae Ecclesiae Purpurati Patres magnopere sibi in votis esse pandiderunt, ut Sanctae Teresiae a Iesu Infante honor et cultus, per Officium et Missam, a Suprema Auctoritate, in toto catholico orbe decernatur: quod postulatum Summo Pontifici Pio Papae XI suaviter arrisit. Quare ad iuris tramitem et ad normam Decreti 20 Februarii 1926 concinnatum Officium et Missam, prouti in superiori exemplari prostat, per Eminentissimum Dominum Cardinalem Sacrae Rituum Congregationi Praefectum una cum R. P. D. Sanctae Fidei Promotore generali, diligenter revisum, ab eodem Cardinali subsignata die Sanctissimo Domino fuit exhibitum, simulque oblata supplicatio ut festum S. Teresiae a Iesu Infante, Virginis, ad universam extenderetur Ecclesiam. Sanctitas vero Sua, supradictum Officium cum Missa in omnibus approbare dignata est, mandavitque ut ab utroque Clero, in universa Ecclesia, die 3 Octobris, sub ritu duplici minori, festum S. Teresiae a Iesu Infante, Virginis, quotannis recolatur: servatis de cetero rubricis. Contrariis quibuscumque non obstantibus.

Die 13 Iulii 1927.

✠ A. Card. Vico, Ep. Portuen. et S. Rufinae,
S. R. C. Praefectus.

L. ✠ S.

Angelus Mariani, *Secretarius.*

III

DUBIUM

Sacrae Rituum Congregationi propositum fuit sequens dubium:

« An liceat Missam cum cantu vel lectam celebrare coram Ssmo Sacramento velato vel in pyxide exposito, intra vel extra tabernaculum? » Et quatenus Negative:

« Utrum huiusmodi usus saltem tolerari possit? »

Et Sacra eadem Congregatio, audito specialis Commissionis suffragio, respondendum censuit: « Negative ad utrumque ».

Hac nacta occasione ipsa Sacra Rituum Congregatio decreta N. 3448, *Societatis Iesu*, 11 Maii 1878, et N. 4353, *Marianopolitana*, 17 Aprilis 1919, circa Missam et sacram Communionem in Altari expositionis Ssmi Sacramenti, adhuc in suo robore manere declarat; eorumque observantia a Revmis locorum Ordinariis peculiari studio curanda est.

Atque ita rescripsit ac declaravit, die 27 Iulii 1927.

✠ A. Card. Vico, Ep. Portuen. et S. Rufinae,
S. R. C. Praefectus.

L. ✠ S.

Angelus Mariani, *Secretarius.*

DIARIUM ROMANAE CURIAE

Mercoledì 22 Giugno 1927, Sua Santità riceveva in Udienza di formalità il Sig. GIORGIO SAULYS, Inviato Straordinario e Ministro Plenipotenziario della Lituania, per la presentazione delle Lettere credenziali.

COMUNICATO

Si rende noto, che il sacerdote Giuseppe Loreti, della diocesi di Palestrina, secondo il disposto del canone 2300 del Codice di diritto canonico, è stato privato del diritto di vestire l'abito ecclesiastico.

Con ciò gli rimane interdetto l'esercizio di qualsiasi sacro ministero e sospeso il godimento dei privilegi clericali.

SACRA CONGREGAZIONE DEI RITI

Martedì, 5 Luglio 1927, nel Palazzo Apostolico Vaticano, si è tenuta la Congregazione *Ordinaria* dei Sacri Riti, nella quale al giudizio degli Emi e Revmi Signori Cardinali componenti la medesima, sono state sottoposte le seguenti materie:

1. Introduzione della Causa di beatificazione e canonizzazione della Serva di Dio Maria Vittoria Teresa Couderc, Confondatrice della Società di Nostra Signora del Ritiro nel Cenacolo.

2. Conferma di culto, prestato da tempo immemorabile, al Servo di Dio Ugone Fossense, Abbate dell'Ordine dei Premonstratensi, detto Beato.

3. Riassunzione della Causa di canonizzazione della Beata Giovanna Thouret, Fondatrice dell'Istituto delle Suore della Carità.

4. Intorno alle virtù del Beato Salvatore da Orta, laico professo dell'Ordine dei Minori, onde procedere alla discussione dei miracoli per la sua canonizzazione.

5. Intorno all'approvazione e concessione dell'Officio e Messa in onore del Beato Apollinare da Posat, martire, dell'Ordine dei Minori Cappuccini.

6. Intorno all'approvazione e concessione dell'Officio e Messa in onore dei Beati Lodovico François e Giovanni Enrico Gruyer, martiri, della Congregazione della Missione.

7. Intorno all'approvazione e concessione dell'Officio e Messa in onore del Beato Giovanni Francesco Burté, martire, dell'Ordine dei Minori Conventuali.

8. Intorno all'approvazione e concessione dell'Officio e Messa dei Beati Giuseppe Tommaso Pazery de Thorame, Carlo Geremia Beraud du Pérou e Pietro Claudio Pottier, martiri.

9. Intorno alla revisione degli scritti del Servo di Dio Stefano Pernet, Sacerdote della Congregazione degli Agostiniani dell'Assunzione e Fondatore dell'Istituto delle Piccole Suore dell'Assunzione.

10. Intorno alla revisione degli scritti della Serva di Dio Teresa di Gesù (Romero Balmesida) delle Concezioniste Francescane.

11. E finalmente intorno all'approvazione e concessione del Prefazio proprio in onore di S. Giovanni della Croce, Confessore e Dottore della Chiesa.

Martedì, 12 Luglio 1927, nel Palazzo Apostolico Vaticano, dinanzi l'augusta presenza del Santo Padre, si è tenuta la Congregazione *Generale* dei Sacri Riti, nella quale gli Emi e Revmi Signori Cardinali, i Revmi Prelati ed i Consultori teologi, componenti la medesima, hanno discusso e dato il loro voto sul dubbio delle virtù in grado eroico nella causa di beatificazione e canonizzazione della Ven. Serva di Dio Vincenza Gerosa, Confondatrice dell'Istituto delle Suore di Carità in Lovere, diocesi di Brescia.

Martedì, 26 Luglio 1927, nel Palazzo Apostolico Vaticano, con l'intervento degli Emi e Rmi Signori Cardinali e col voto dei Rmi Prelati Officiali e dei Consultori teologi, componenti la Sacra Congregazione dei Riti, si è tenuta la Congregazione *Preparatoria* per discutere il dubbio sopra l'eroismo delle virtù esercitate dalla Ven. Serva di Dio Alice Le Clerc, Fondatrice dell'Istituto di Nostra Signora.

SEGRETERIA DI STATO

CONGREGAZIONI ASSEGNATE AI NUOVI CARDINALI

Con Biglietti della Segreteria di Stato in data 23 Giugno 1927, il Santo Padre si degnava assegnare le seguenti Sacre Congregazioni agli Emi e Revmi Signori Cardinali ai quali nel medesimo giorno aveva imposto il Cappello Cardinalizio:

All'Emo Sig. Card. Lorenzo Lauri, le Sacre Congregazioni *del Concilio, dei Sacramenti* e *degli Affari Ecclesiastici Straordinari.*

All'Emo Sig. Card. Ernesto Van Roey, le Sacre Congregazioni *di Propaganda Fide, dei Seminari* e *delle Università degli Studi,* e *della Rev. Fabbrica di S. Pietro.*

NOMINE

Con Biglietto della Segreteria di Stato il Santo Padre Pio XI, felicemente regnante, si degnava nominare:

8 Giugno 1927. Il Revmo P. Romualdo Souarn, degli Agostiniani dell'Assunzione, *Consultore della Sacra Congregazione dei Religiosi.*

Con Brevi Apostolici, il Santo Padre Pio XI, felicemente regnante, si è degnato di nominare:

7 Maggio 1927. Monsig. Andrea Cassulo, Arcivescovo tit. di Leontopoli, *Delegato Apostolico nel Canadà e Terranova.*

20 Giugno » Monsig. Federico Callori di Vignale, *Ablegato Apostolico per la presentazione della Berretta cardinalizia a Monsig. Augusto Hlond, Arcivescovo di Gnesna e Posnania.*

Assistenti al Soglio Pontificio:

19 Novembre 1926. Monsig. Agostino Kilian, Vescovo di Limburgo.
20 Aprile 1927. Monsig. Guido Conforti, Arcivescovo Vescovo di Parma.
28 Maggio » Monsig. Eduardo De Ropp, Arcivescovo di Mohilew.

Protonotari Apostolici ad instar participantium:

5 Aprile 1927. Monsig. Giuseppe Ruessing, della diocesi di Omaha.
30 Giugno » Monsig. Biagio Rajic, dell'Amministrazione Apostolica di Backa.
7 Luglio » Monsig. Francesco Meis, della diocesi di Münster.
» » » Monsig. Giuseppe Mausbach, della medesima diocesi.
9 » » Monsig. Geremia Cahill, della diocesi di Auckland.

Prelati Domestici di S. S.:

11 Gennaio 1927. Monsig. Tommaso Vierzorek, dell'archidiocesi di Lodz.
3 Marzo » Monsig. Raimondo E. Silva, della diocesi di Calabozo.
12 » » Monsig. Soltano Halko, della diocesi di Neosolio.
6 Aprile » Monsig. Pietro L. O'Loughlin, della diocesi di Lincoln.
2 Maggio 1927. Monsig. Francesco Mirecki, della diocesi di Czestochowa.
» » » Monsig. Vincenzo Zamojski, della medesima diocesi.
4 » » Monsig. Giovanni W. Osadnik, della diocesi di Fort Wayne.

3 Giugno 1927. Monsig. Michele A. Tarrent, della diocesi di Springfield (Ill.).
» » » Monsig. Luigi Guglielmo Lammert, della medesima diocesi.
10 » » Monsig. Bernardo De Felicis (Roma).
21 » » Monsig. Giacomo Mc Aleese, della diocesi di Brooklyn.
22 » » Monsig. Eugenio Hillmann, dell'Amministrazione Apostolica di Innsbruck.
24 » » Monsig. Giulio De Trannay, dell'archidiocesi di Malines.
» » » Monsig. Giovanni Pietro Jansen, della medesima archidiocesi.
» » » Monsig. Tommaso P. Griffin, della diocesi di Raleigh.
25 » » Monsig. Patrizio P. Crane, dell'archidiocesi di St. Louis (Miss).
» » » Monsig. Giuseppe Selinger, della medesima archidiocesi.
» » » Monsig. Giuseppe Wentker, della medesima archidiocesi.
30 » » Monsig. Salvatore Merida Perez, dell'archidiocesi di Granata.
5 Luglio » Monsig. Riccardo Lacarra, dell'archidiocesi di Brindisi.
7 » » Monsig. Giuseppe Fischer, della diocesi di Breslavia.
» » » Monsig. Rodolfo Hofmann, della medesima diocesi.
8 » » Monsig. Tommaso Lane, della diocesi di Auckland.
11 » » Monsig. Leonard Schanzenbach, dell'archid. di Friburgo.
» » » Monsig. Francesco Fünfgeld, della medesima archidiocesi.
15 » » Monsig. Giovanni Evangelista Deller, della diocesi di Augsburg.
» » » Monsig. Giuseppe Funk, della medesima diocesi.
18 » » Monsig. Francesco Herzog, dell'archidiocesi di Praga.
21 » » Monsig. Stanislao Bertucci, della diocesi di Anagni.

ONORIFICENZE

Con Brevi Apostolici, il Santo Padre Pio XI, felicemente regnante, si è degnato di conferire:

Il Cavalierato dell'Ordine Piano:

9 Aprile 1927. Al sig. Giuseppe Conte, della diocesi di Friburgo.
25 Giugno » Al sig. avv. Renato Pascalis, della diocesi di Nizza.

La Gran Croce dell'Ordine di S. Gregorio Magno, classe civile:

4 Luglio 1927. Al sig. dott. Adriano Pietro Norberto Koolen, dell'archidiocesi di Utrecht.

La Commenda con Placca dell'Ordine di S. Gregorio Magno, classe civile:

18 Agosto 1926. Al sig. Lodovico Gdyk, dell'archidiocesi di Varsavia.
7 Giugno 1927. Al sig. Giosuè Francesco Trocado, dell'archidiocesi di Praga
30 » » Al sig. Giovanni Nocera, della diocesi di Piazza Armerina.

La Commenda dell'Ordine di S. Gregorio Magno, classe civile:

22 Febbraio 1927. Al sig. conte Paolo De Frontin, dell'archidiocesi di Rio de Janeiro.
» » » Al sig. dott. Gioacchino Moreira da Fonseca, della medesima archidiocesi.
16 Maggio » Al sig. dott. Francesco Peucker, dell'archidiocesi di Praga.
7 Giugno » Al sig. architetto Mario Palanti, dell'archidiocesi di Milano.
17 » » Al sig. Teodoro Mac Manus, dell'archidiocesi di Baltimora.
18 » » Al sig. Enrico Scaramelli, dell'archidiocesi di Bologna.
27 » » Al sig. cav. Rodolfo Liffers, della diocesi di Harlem.
5 Luglio » Al sig. conte Emmanuele De Kervéguen, della diocesi di Meaux.

Il Cavalierato dell'Ordine di S. Gregorio Magno, classe civile:

13 Gennaio 1927. Al sig. Giuseppe Wybicki, della diocesi di Culma.
» » » Al sig. Leone Janta-Polczynski, della medesima diocesi.
27 Giugno » Al sig. Carlo Erling, della diocesi di Osnabrück.
28 » » Al sig. Giovanni Koonings, della diocesi di Bois-le-Duc.
1 Luglio » Al sig. Antonio Pavan, del Patriarcato di Venezia.
6 » » Al sig. Gerardo A. M. van Cranenburgh, della diocesi di Harlem.
8 » » Al sig. Giorgio Ugeux, dell'archidiocesi di Malines.
» » » Al sig. Clemente Swolfs, della medesima archidiocesi.
15 » » Al sig. dott. Canuto Barfod, del vicariato apostolico di Danimarca.
21 » » Al sig. Pio van der Heijden, della diocesi di Bois-le-Duc.
» » » Al sig. Giovanni Francesco Mutsaerts, della medesima diocesi.

La Commenda dell'Ordine di S. Silvestro Papa:

13 Luglio 1927. Al sig. cav. Filippo Silvestri, della diocesi suburbicaria di Sabina e Poggio Mirteto.

Il Cavalierato dell'Ordine di S. Silvestro Papa:

7 Giugno 1927. Al sig. prof. Giuseppe Palanti, dell'archidiocesi di Milano.
27 » » Al sig. Giovanni Camarillo, della diocesi di Los Angeles.
28 » » Al sig. Gioacchino Pinci (Roma).
9 Luglio » Al sig. Gaetano de Quesada, della diocesi di Camagüey.
18 » » Al sig. Severino Gavosto, dell'archidiocesi di Torino.
19 » » Al sig. Achille Gardenghi, della diocesi di Imola.

MAGGIORDOMATO DI SUA SANTITÀ

NOMINE

Con Biglietti di S. E. Rma Monsig. Maggiordomo, il Santo Padre Pio XI, felicemente regnante, si è degnato di nominare:

Camerieri Segreti Soprannumerari di S. S.:

24 Giugno 1927. Monsig. Eugenio Miskolczy, della diocesi di Vacia.
» » » Monsig. Giuseppe Széll, della medesima diocesi.
» » » Monsig. Adalberto Vanyek, della medesima diocesi.
» » » Monsig. Francesco Fűcík, dell'archidiocesi di Olmütz.
» » » Monsig. Paolo Küchler, della diocesi di Treviri.
» » » Monsig. Luigi Lombardi, dell'archidiocesi di Benevento.
» » » Monsig. Edoardo Luytgaerens, dell'archidiocesi di Malines.
4 Luglio » Monsig. Erminio Viganò, della diocesi di Novara.
» » » Monsig. Rodolfo Schelck, della diocesi di Seccovia.
» » » Monsig. Giuseppe Rothbart, della medesima diocesi.
» » » Monsig. Giovanni O'Brien, dell'archidiocesi di Liverpool.
» » » Monsig. Raffaele Pastura, della diocesi di Amelia.
11 » » Monsig. Franco Carminati, della diocesi di Bergamo.
16 » » Monsig. Francesco Doglioli, della diocesi di Alessandria.

Camerieri Segreti di Spada e Cappa Soprannumerari di S. S.:

11 Luglio 1927. Il sig. Vittorio J. Dowling, dell'archidiocesi di New York.
» » » Il sig. Giorgio Mac Donald, della medesima archidiocesi.

Camerieri d'onore in abito paonazzo di S. S.:

11 Luglio 1927. Monsig. Roberto Domm, della diocesi di Augsburg.
» » » Monsig. Antonio Luible, della medesima diocesi.

16 Luglio 1927. Monsig. Carlo Eberle, della diocesi di Rottenburg.
16 » » Monsig. Antonio Kübler, della medesima diocesi.

Camerieri d'onore di Spada e Cappa Soprannumerari di S. S.:

24 Giugno 1927. Il sig. Gerardo Goemaere, della diocesi di Namur.
24 » » Il sig. Francesco Montgomery, della diocesi di Los Angeles.

Camerieri d'onore extra urbem *di S. S.:*

22 Giugno 1927. Monsig. Giulio Cesare Beltrán, dell'archidiocesi di Bogotá.

NECROLOGIO

23 Giugno 1927. Monsig. Carlo Lasne, Vescovo tit. di Olba.
3 Luglio » Monsig. Giuseppe Anderson, Vescovo tit. di Mirina.
11 » » Emo Sig. Card. OTTAVIO CAGIANO DE AZEVEDO, del titolo di S. Lorenzo in Damaso, Cancelliere di S. R. Chiesa.
15 » » Monsig. Giovanni della Croce Raffl, Vescovo di Bressanone.
25 » » Emo Sig. Card. GIOVANNI CSERNOCH, del titolo di S. Eusebio, Arcivescovo di Strigonia.

LIGORIO (S. ALPHONSI MARIAE DE). - **THEOLOGIA MORALIS.** *Editio nova* cum antiquis editionibus diligenter collata, in singulis auctorum allegationibus recognita notisque criticis et commentariis illustrata, cura et studio P. LEONARDI GAUDÉ e Congregationis Ssmi Redemptoris. - Quattro volumi in-4° (gr. 9150).

Romae L. **100** — In Italia, vecturae pretio soluto L. **110** — Apud Exteros L. **140** —

RITUS SERVANDUS in Coronatione Imaginis B. Mariae Virginis. In-4°, pp. 8 in rosso-nero.

Romae L. **2** — In Italia, vecturae pretio soluto L. **2,50** Apud Exteros L. **3,25**

L'EUCARISTIA MEDITATA o GESÙ MIO AMORE E MIA VITA. Meditazioni per prepararsi alla S. Comunione seguite da ringraziamenti (Traduzione dal francese). 9ª edizione migliorata. - 1927. Un vol. in-18°, pp. XII-534 (gr. 180).

In Roma L. **5** — In Italia, franco di posta L. **5,40** Per l'Estero L. **5,60**

	Roma L.	Italia L.	Estero L.
Ritus et Formula brevior Consecrationis altarium portatilium ex Apostolico Indulto. In-8° 20×28, pp. 8, caratteri rosso-neri con riquadratura	3 —	3,50	4 —
Synodus Dioecesana Clavarensis secunda in Cathedrali Basilica B. M. V. de Horto ab Illmo et Revmo D. Episcopo Amadaeo Casabona habita diebus XXII-XXIV Novembris MCMXXI. Un vol. in-8°, pp. XXXII-159, su carta a mano	10 —	11,50	13 —
Rito della consacrazione di una Chiesa. Testo latino e versione ad uso dei fedeli. Un vol. in-16°, pp. 152	2,50	2,80	3,30
De vita christiana, libri VII quos ex genuinis operibus S. P. Augustini collegit Fr. Antoninus Tonna-Barthet, O. E. S. A. – Editio altera emendata et aucta. – Romae, Typis Polyglottis Vaticanis, 1927.			
Foliis solutis (*brochure*)	10 —	11 —	12 —
Linteo contectum	13 —	14 —	15 —
Quae ad christianam perfectionem maxime pertinent auctor, quasi apis argumentosa, ex ingenti prato operum S. Augustini studiosissime colligens hoc opus digessit: in quo, eiusdem Doctoris eximii et sententiis et verbis adhibitis, totidem libris in diversa capitula opportune distributis, universam doctrinam de septem gradibus christianae perfectionis funditus absolvit. Nulli igitur dubium quin opus maximo sit et praeclaro adiumento futurum non solum clericis, qui in sacris Seminariis ad pietatem se exercent, sed etiam verbi divini et sacramentalis poenitentiae ministris.			
La nostra fede, di MONS. MASSIMO MASSIMI. Due voll. in-12°, terza ediz.	10 —	12 —	13 —
Vol. I. **Le basi del Domma Cattolico,** pp. 116.			
Vol. II. **La sintesi del Domma Cattolico,** pp. 174.			
Preces iussu Leonis Papae XIII, in omnibus Orbis Ecclesiis, post privatae Missae celebrationem, flexis genibus recitandae; (a tergo) **Lode al Santo Nome di Dio.** Ediz. in rosso-nero e fregio a colori, montata su cartone, con bordi dorati (gr. 70)	1,50	2 —	2,50
Concilium plenarium Sardum, Arboreae seu Oristanei anno 1924 habitum, Caietano Card. De Lai, Episcopo Sabinensi, Summi Pontificis Pii XI Legato a latere Praeside. Un vol. in-8°, di pp. 84 (gr. 230)	10 —	11 —	12 —
Concilium plenarium Siculum Panormi anno 1920 habitum Caietano Card. De Lai, Ep. Sabinensi, Summi Pontificis Benedicti XV Legato a latere, Praeside. Un vol. in-8°, di pp. 108 (gr. 265)	5 —	6 —	7 —
Decreta authentica Congregationis Sacrorum Rituum, ex Actis eiusdem collecta eiusque auctoritate promulgata. Voll. 7 in-8° mai., charta manufacta. – Ab anno 1588 num. 1 usque ad annum 1911, num. 4284: pp. XXIV-486; XI-484; VIII-383; 441; 523; XI-177; VIII-56; peso complessivo, gr. 6100	212 —	220 —	247 —
Si vende separatamente soltanto:			
Vol. VII. Appendix II. Ab anno 1912, num. 4285, usque ad annum 1926, num. 4404, cum suo Indice Generali - 1927	12 —	13 —	14 —

Veneunt Romae apud Administrationem Commentarii Officialis **"Acta Apostolicae Sedis"** (*Libreria Vaticana - Vaticano – Roma*).

ENCHIRIDION BIBLICUM

Documenta Ecclesiastica Sacram Scripturam Spectantia.

Auctoritate Pontificiae Commissionis de re Biblica Edita.

Romae L. 10 — In Italia L. 11 — Apud Exteros L. 13,50

Cum non facile praesto omnibus simulque sint documenta, quibus Ecclesia sive solemnioribus declarationibus sive ordinario magisterio, divinitus traditam de Libris sacris doctrinam exposuit et vindicavit, peropportune factum est ut praesenti *Enchiridio* eadem omnia ratione authentica colligerentur, aptoque ordine iuxta seriem temporis disponerentur, ac locupletissimo indice systematico instruerentur. Nonnisi pauca quaedam ut Canon Muratorianus et Decretum Gelasianum, de quibus non constat utrum competenti auctoritate prodirent, huic collectioni desunt: series ceterorum documentorum uberrima, ad n. 528 pertingit, quamquam ex proposito excepta fuerint quae nonnisi indirecta doctrinam de sacris libris attingunt, utpote quae spectant v. g. ad studium linguarum, ad usum concionatorium, ad frequentandam lectionem SS. Scripturarum etc. En brevis conspectus praecipuarum vocum ex indice systematico: I. Agitur de Sacra Scriptura generatim: signanter de Canone – de Inspiratione – de Veritate absoluta ss. librorum – de Interpretatione – de Textibus et versionibus – de Historia exegeseos – de Pontificia Commissione Biblica – de Vulgatae correctione – de Instituto Biblico. Deinde, II, de singulis libris, partibus, commatibus, quidquid singillatim authentico magisterio propositum est, dilucide et plene indigitatur.

Paginarum vero typorumque externa ratio indoli « libri manualis » apprime respondet.

	Roma L.	Italia L.	Estero L.
Missa in Festo S. Teresiae a Iesu Infante Virginis (Die 3 Octobris) (Pro Universali Ecclesia; ex Decreto S. Rituum Congregationis, die 27 Iulii 1927). In-folio, caratteri rosso-neri, nei margini 18×27 . .	0,60	0,70	0,85
— In-8°, caratteri solo neri	0,50	0,60	0,75
Officium S. Teresiae a Iesu Infante Virginis (Die 3 Octobris) (Pro Universali Ecclesia, ex Decreto S. Rituum Congreg., die 27 Iulii 1927). In-16°, pp. 4 in carta indiana, caratteri rosso-neri	0,70	0,80	1 —
Officium et Missae in Nativitate Domini, ***cum cantu,*** iuxta ordinem Breviarii et Missalis Romani. Editio typica Vaticana. – Vol. in-8°, pp. 112, charta optima.	5 —	5,50	6,50
Officium et Missa in Festo D. N. Iesu Christi Regis, ***cum cantu.*** Editio typica Vaticana. – Vol. in-8°, pp. 88 e copertina	5 —	6 —	7,50
Missa in Festo D. N. Iesu Christi Regis, ***cum cantu.*** Charactere rubro et nigro, in-4°, pp. 4	1,20	1,40	1,80
— Editio ***sine cantu,*** charactere rubro et nigro, in-8° mai., pp. 4 . . .	1 —	1,20	1,60
Officium in Festo D. N. Iesu Christi Regis. Charactere rubro et nigro, in-12°, pp. 22	1,25	1,45	1,65
Ordinamento dei Seminari (S. Congregazione dei Seminari e delle Università degli studi). Seconda edizione coll'aggiunta della Lettera Apostolica del Santo Padre Pio XI *Officiorum omnium* del 1° Agosto 1922	3 —	3,50	4 —
Acta et Decreta Concilii Plenarii Americae Latinae in Urbe celebrati anno Domini MDCCCXCIX. Due volumi in-8° (gr. 2470)	20 —	24,50	30,50
Vol. I. **Acta,** pp. CXX-462. Vol. II. **Appendix,** pp. 917.			
Appendix ad Concilium Plenarium Americae Latinae Romae celebratum anno Domini MDCCCXCIX. Additis recentioribus documentis. In-8°, pp. 917 (gr. 1630)	12 —	15 —	20 —
Actas y Decretos del Concilio Plenario de la America Latina celebrado en Roma el año del Señor de MDCCCXCIX, en latin y castellano. Traducción oficial, 1906, in-8°, pp. CLXXXII-593 (gr. 1380)	15 —	18 —	21,60

Veneunt Romae apud Administrationem Commentarii Officialis **"Acta Apostolicae Sedis"** (*Libreria Vaticana – Vaticano – Roma*).